

spectat non impedire cursum rerum : velle fieri mala autem est malæ voluntatis, quæ vel malo delectatur, vel eo uti vult ad bonum, contra illam regulam : *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona.*

*Ad 3<sup>um</sup>. D. min.* Peccata fieri active est bonum *N.* fieri permissive *subd.* est bonum, quatenus præcise peccata sunt et fiunt *N.* quatenus a Deo ad finem bonum ordinantur, postquam permittente Deo existunt *C.*

*Ad 4<sup>um</sup>. D.* Vult ipsum peccatum, hoc est, ipsam malitiam actus vel objecti *N.* hoc est, objectum, quod volendo homo peccat *C.* Distinctio patet ex exemplo, quod ibidem subjungitur. Malus filius si vult mori patrem, hoc mala voluntate vult et peccat : si vero etiam Deus hoc velit, vult id bona voluntate, quia præter dominium in vitam habet finem semper bonum in decernenda hominum morte. Hinc autem constat non esse hic intelligendum objectum *intrinsece* malum.

2<sup>o</sup>. Deus juxta S. Aug. ordinat et decernit mala; sic enim S. Aug. L. de corrept. et grat. cap. 10. n. 27. Saluberrime confitemur, quod rectissime credimus, *Deum Dominumque rerum omnium qui... mala ex bonis exoritura esse præscivit, et scivit magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere, etiam de malis bene facere, quam mala esse non sinere, sic ordinasse angelorum et hominum vitam, ut in ea prius ostenderet quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset gratiæ suæ beneficium, justitiæque judicium.* Et ib. c. 7. n. 14. *Cum audimus : Nonne ego vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est? illos debemus intelligere electos per misericordiam, illum per judicium; illos ad obtinendum regnum suum, illum ad fundendum sanguinem suum.*

*R. N. Ass. Textus 1<sup>us</sup>.* plane non probat, cum non dicat Deum decrevisse ut mala ex bonis orirentur, aut ut angeli et homines prius necessario peccarent, et propter peccata punirentur, ut patet. Dum vero *Calvinus* et *Beza* addunt præscientiam a proposito Dei per S. AUGUSTINUM nunquam sejungi, falsum dicunt, cum L. de prædest. SS. c. 10. n. 19. scribat : *Prædestinatio sine præscientia non potest esse; potest autem esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippe Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus... præscire autem potens est etiam, quæ ipse non facit, sicut quæcumque peccata.*

*Ad text. 2<sup>um</sup>. D.* Ita ut eligere ad effundendum sanguinem suum, idem sit ac decernere uti mala voluntate Judæ, quam se permittente futuram in eo prænoverat, ad redemptionem peragendam *C.* ita ut idem sit ac decernere ipsam malam voluntatem *N.* Huic expositioni locum faciunt verba immediate præcedentia : *Ab illo quippe electus est, qui novit bene uti etiam malis, ut et per ejus opus damnabile, illud propter quod ipse venerat, opus venerabile completeretur.*

3<sup>o</sup>. Deus juxta S. Aug. hominem inclinatur ad malum; sic enim L. de grat. et lib. arb. c. 21. *Manifestatur, inquit, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas earum voluntates quocumque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum.*

*R. D.* Inclinatur proprie *N.* improprie et tropice, uno scilicet ex illis num. præced. §. 4. expositis modo *C.* Sub hac autem inclinatione jam adesse in homine propriam malitiam, patet ex verbis eod. L. c. 20. præmissis :

*Voluntatem proprio vitio malam in hoc peccatum judicio suo justo et occulto inclinavit.*

4<sup>o</sup>. S. Aug. verba Scripturæ explicans, quæ dicunt Deum homines tradere in reprobum sensum, negat id fieri deserendo et per patientiam seu permissionem. Sic enim L. 5. cont. Julian. c. 3. n. 10. scribit : *Sequitur : Propter hoc tradidit illos Deus in passiones ignominie. Audis, propter hoc; et quæris inaniter, quomodo intelligendus sit tradere Deus, multum laborans, ut ostendas eum tradere deserendo.* Item ibid. n. 13. *Quid est autem quod dicis : Cum desideris suis traditi dicuntur, relictis per divinam patientiam intelligendi sunt, non per potentiam in peccata compulsi? Quasi non simul posuit hæc duo idem Apostolus et patientiam et potentiam.*

*R. D.* Negat fieri in sensu *Juliani C.* in sensu suo et nostro *N.* Existimavit *Julianus* nec concupiscentiam nec ullum peccatum esse pœnam alterius peccati, et hinc dicebat Deum non tradere quemquam desideris suis aut in reprobum sensum, quasi peccatum prius puniat; sed quia permittit, ut quis in desideris malis, quibus jam tenebatur, hæreat : unde Deus juxta *Julianum* mere negative se habebat.

S. AUGUSTINUS e contra non negavit simpliciter Deum tradere deserendo; cum præter dicta n. præced. §. 5. hoc ipso in loco n. 12. dicat : *Cum ergo dicitur homo tradi desideris suis, inde fit reus, quia desertus a Deo cedit eis atque consentit.* Negavit vero Deum id simpliciter permittere, cum permittat hoc Deus, ut puniat : negavit etiam Deum hic se mere permissive habere, cum Deus deserat subtrahendo suas gratias in pœnam prioris peccati, et sic non tantum permittat, ut quis in desideris, in quibus jam est, hæreat, sed deserendo sinat, ut quis desideris malis consentiat. Prius ostendit, dum primo textui subjungit : *Sed quomodolibet tradat; propter hoc tradidit, propter hoc deseruit, scilicet ut priora peccata puniat.* Posterius, dum ibid. n. 11. addit : *Aliud est habere mala desideria cordis, aliud tradi eis; utique ut consentiendo eis possideatur ab eis, quod fit cum judicio divino traditur eis.*

Quod in textu 2<sup>o</sup>. dicitur : *in peccata compulsi*; verba sunt *Juliani*, quæ dissimulavit Aug., tum quod nollet de traditionis modo hic disputare, sed uni questioni insistere, an peccatum sit pœna alterius peccati? ut patet ex verbis mox relatis; tum quod alibi satis clare contrarium doceret, nempe Tract. 53. in Joan. n. 4. *Fecerunt peccatum Judæi; quod eos non compulit facere, cui peccatum non placet.* Et L. 13. de Trin. c. 13. *Modus.... quo traditus est homo in diaboli potestatem, non ita debet intelligi, tanquam hoc Deus fecerit, aut fieri jussisset; sed quod tantum permiserit.*

24. Obj. III. Qui est causa causæ, est causa causati, ex posita causa secuti et in ea prævisi : atqui Deus est causa multiplicis causæ, ex qua posita sequitur peccatum, et in qua illud etiam ab eo prævidetur; ergo est causa peccati. *Min. constat*, quia Deus est causa 1<sup>o</sup>. voluntatis humanæ proclivis ad peccatum : 2<sup>o</sup>. motuum concupiscentiæ : 3<sup>o</sup>. cognitionum allicientium ad peccatum.

*R. D. M.* Causa causæ est causa physica causati *C.* causa moralis et intentionalis *subd.* si causa immediata effectus; sit causa per se efficax, aut habeat unum tantum effectum, aut si quidem habeat plures effectus, causa tamen

causæ ex intentione vel complacentia feratur in hos plures effectus *C.* secus *N.* In omnibus autem assignatis aliquid ex his requisitis deficit.

1<sup>o</sup>. *Voluntas* enim humana *indifferens* est tam ad bonum quam ad malum, nec tam proclivis est ad malum, quam debilis ad bonum, quatenus a rebus inferioribus facile impellitur ad peccatum. *Miseria* autem hujus status provenit partim a privatione doni, quo allicientia ad peccatum impediuntur; in quo non est causa per se peccati: partim a causis extrinsecis vel intrinsicis, quæ tamen causæ efficaces peccati non sunt.

2<sup>o</sup>. *Concupiscentiæ* motus non sunt ex se mali, sed naturales et incli- nantes ad proprium finem, qui de se est licitus, quamvis is in certis circum- stantiis, et ejus abusus sit illicitus. Unde quantum ad conditionem hominis spectant, etiam non sunt causa efficax unius tantum effectus, nec per se et efficax causa peccati. Quod autem tales motus non possint ab homine ad libitum rationis frænari, oritur a peccato originali: interdum a vitio pro- genitorum, aut a culpa personali hominis, qui intemperantia sua eos pro- movit, aut consuetudinem induxit.

3<sup>o</sup>. *Cognitio*, cujus causa Deus dici potest, vel est *indifferens* et composita ex duabus, quarum una retrahit a malo, altera inclinat ad malum, vel tan- tum proponit objecti delectabilitatem, et præscindit, num sit contra legem: neutra autem est causa per se, multo minus efficax; cum etiam postrema cognitio sit talis scientia, quam angelus et homo primus acceperunt a Deo, et per quam intellectus cognoscit bonitatem rei physicam. Quin, licet etiam Deus proponeret *cognitionem*, quæ bonitatem tantum apparentem objecti formaliter legi divinæ repugnantis repræsentaret, hæc non esset positio causæ per se efficaciis peccati, quia propositio ejusmodi relinquit adhuc *indifferentem* voluntatem, et quantum movet ad peccatum, tantum ab eo retrahit ob cognitionem legis adjunctam. Cæterum in his omnibus pecca- tum, quod Deus dissuadet, prohibet et punit, ab eo non intendi certum est.

*Inst.* 1. Deus concurrit una actione indivisibili cum creatura ad peccatum; ergo est causa. *Conf.* Creatura ex suo concursu dicitur causa peccati; ergo et Deus.

*R. D. A.* Concurrit Deus concursu ex se indifferente, nec immediate li- bero, sed logice determinato a creatura *C.* concursu immediate libero, et elective ab ipso Deo determinato *N.* Concursus Dei ex se indifferens est; quia omnipotentia Dei parata est concurrere cum homine tam ad bonum, quam ad malum: non est immediate liber; quia Deus non ipse actionem eligit aut determinat, sed homini electionem et determinationem relinquit: logice determinatur ab homine; Deus enim concurrit, quia creatura eligit et agit; non vero creatura eligit et agit, quia Deus concurrit.

*Ad Conf.* *Disparitas est.* Creatura ex propria inclinatione, intentione, ele- ctione ac determinatione concurrit vel agit id quod omittere obligatur; ergo ex omni capite est causa peccati. Concursus Dei est omnino diversus, ut modo dictum: ac præterea tanquam causa universalis Deus eum præbere debet ad potentiam agendi in creaturis complendam, et in liberis potesta- tem ad utrumque sartam tuendam.

*Inst.* 2. Licet Deus præbeat concursum indifferente, tamen est auctor honorum operum; ergo a pari. *Conf.* Peccatum subsequens sæpe est pœna peccati prioris: sed Deus est causa hujus pœnæ; ergo et peccati.

*R. Disparitas est.* Deus enim intendit bona opera et præcipit: ad ea nos hortatur propositis præmiis, et propter hæc consequenda libertate nos dona- vit: atque ad hæc præter concursum indifferente gratias confert; ergo recte auctor boni dicitur. Nihil autem ejusmodi Deus facit in ordine ad opus malum, qui illud aversatur, prohibet, et supplicia minatur, si concursum ejus indifferente ad illud determinaverimus.

*Ad Conf. D. M.* Peccatum subsequens ratione sui est pœna prioris *N.* ra- tione adjunctorum *C.* Ratione *sui* peccatum subsequens est actus volunta- rius; ergo pœna esse nequit, quæ patienti debet esse involuntaria et a pu- niente vere infligi: ratione *adjunctorum* antecederet dicit subtractionem gratiæ et permissionem Dei, consequenter terrores conscientiæ et supplicia, secundum quæ peccatum Deo convenire potest.

*Inst.* 3. Omnipotentia Dei æque est sancta, ac voluntas; ergo vel omni- potentia Dei non potest producere actum peccaminosum, sicut voluntas non potest velle, vel potest Deus velle, sicut producere peccatum. *Conf.* 1. Vel concurrere ad peccatum est bonum vel malum: si *primum*; ergo Deus potest id positive velle: si *secundum*; nullo modo concurrere potest. *Conf.* 2. Licet etiam Deus vellet peccatum, tamen vel non esset causa peccati; cum hæc sit tantum deficiens, quod prædicatum Deo convenire nequit: vel non peccaret; quia non ageret contra legem, utpote quæ respectu ejus non datur.

*R. N. Cons.* *Disparitas est.* Versari simpliciter circa peccatum non est malum; cum intellectus etiam divinus possit sine aliqua culpa versari cog- nitione circa illud: similiter etiam simpliciter physice producere peccatum, malum non est. Sed sicut versari circa peccatum cognoscendo cum aliqua complacentia est malum, sic etiam producere peccatum illud libere eligendo est malum; quod postremum longissime a Deo abest.

*Ad Conf.* 1<sup>am</sup>. *N.* 2<sup>am</sup>. *p.* Non enim omnis actus malus denominat causam omnem malam, sed eam tantum, quæ per se ac libere influit, qualis Deus non est.

*Ad Conf.* 2<sup>am</sup>. *N. utr. p.* Deus enim in hoc casu 1. deficeret a dictamine suæ sapientiæ, lege æterna et ultimo fine: 2. licet non ageret contra legem superiorem, ageret tamen contra legem quasi sibi necessariam, nihil inde- cens ac summæ sanctitati repugnans agendi. Denique, qui hæc obijciunt, nomen quidem peccati, non turpitudinem amoliuntur, faciuntque Deum contra suam voluntatem agere et non agere.

25. *Observa.* Etiam plures *Thomistæ*, apud ANNATUM negant, Deum ad ma- teriale peccati *physice prædeterminare*, et quidem recte: quia Deus alias pec- cati auctor evaderet. Nam si homo est auctor malitiæ formalis ex eo, quod sit causa per se ac intentiva actionis physiciæ, ex cujus positione novit oriti- ram malitiæ moralem, quatenus tendit in bonum vel objectum, quod novit esse prohibitum, licet ipsam malitiæ directe non velit aut amet: Deus ad materiale peccati *physice prædeterminans* multo magis auctor malitiæ dicen- dus foret; cum Deus id faceret primo et plane libere, homo autem præde- terminatus nec primo nec libere.

Neque hic *dicere juvat*, Deum esse indefectibilem, habereque sibi finem optimum propositum: creaturam vero defectibilem, atque ex fine malo ac contra suam obligationem agere, unde malitiæ non Deo, sed creaturæ

adscribendam sequatur. Quantumvis enim et hæc sibi certa ac explorata protestatur Calvinus, ab Ecclesia tamen, tanquam blasphemiae in Deum reus, est condemnatus.

## ARTICULUS II.

AN REATUS CULPÆ ET REATUS PŒNÆ DISTINGUANTUR?

26. *Nota.* Effectus peccati, prout in ordine ad Deum et peccatorem spectantur, duplicem classem conflant. *Primi* generis est jus duplex, quod ex peccato posito in Deo nascitur: alterum est jus ad inimicitiam et odium contra peccatorem æque ac peccatum, si sit mortale, aut saltem ad displicentiam, si sit veniale: alterum est jus ad infligendam peccatori pœnam, ac vindictam de eo sumendam.

*Secundi* generis varii assignantur, nempe *aversio et obliquitas* voluntatis remanens per modum habitus post actualem aversionem et deordinationem: *macula*, quæ communiter sumitur pro peccato habituali, a quibusdam autem per privationem nitoris, quo anima antea dicebatur immaculata, explicatur: *privatio gratiæ seu justitiæ infusæ*, si præcessit peccatum mortale ab homine in statu elevationis perpetratum: *dispositio vel habitus* a peccato commissionis relictus: *corruptio naturæ*, quæ ex peccato personali orta potissimum sita est in eo, quod per subtractionem auxilii et protectionis divinæ ac habitus vitiosos inclinatio ad bonum minuatur, ad malum augeatur. His vero omissis, de quibus plura dicendi alibi forsitan locus erit, superest duplex obligatio sive debitum, juri illi duplici divino correspondens, ex peccato natum, nempe *reatus culpæ*, quæ est condignitas ac meritum ad sustinendam inimicitiam ac odium vel displicentiam: et *reatus pœnæ*, quæ est condignitas ac meritum ad sustinendam pœnam seu vindictam et supplicium.

De utroque hoc reatu autem controversia est inter Theologos: nonnulli eum volunt tantum *formaliter* esse inter se distinctum et per comparisonem ad diversos terminos, realiter vero identificatum, adeoque aboleri secundum ex integro, si primus penitus extinguatur: aut si reatus aliquis pœnæ adhuc remaneat, etiam superesse adhuc reatum aliquem culpæ. Contraria sententia est communior Theologorum, qui volunt reatum culpæ et reatum pœnæ distingui *realiter*, adeo ut separari a se invicem queant, pereunte uno, altero manente.

27. *Dico.* Reatus pœnæ et reatus culpæ inter se realiter distinguuntur.

*Prob.* Juxta Trid. Sess. 5. Can. 5. *per baptismum remittitur reatus peccati originalis, et tollitur totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet.* Ergo tollitur totus reatus culpæ; cum includat etiam actum peccati moraliter perseverantis, utpote qui æque est objectum odii divini, ac ipse peccator. Atqui tamen per baptismum non remittitur *omnis reatus pœnæ*; quia mors corporis, rebellio concupiscentiæ etc., quibus homo etiam baptizatus subjacet, ex S. Scripturæ et Patrum doctrina sunt pœna peccati originalis; ergo.

*Item ibid.* Sess. 6. c. 14. et Can. 30. dicit, *per justificationis gratiam remitti culpam et reatum æternæ pœnæ, remanere tamen reatum pœnæ tem-*

*poralis exsolvendæ in hoc seculo*; ergo distinguit realiter inter reatum utrumque. Denique Sess. 14. c. 8. et Can. 12. *falsum omnino esse et a Verbo Dei alienum declarat, culpam a Domino nunquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur*: et damnat eos, qui dixerint, *totam pœnam simul cum culpa remitti semper a Deo.* Ergo reatus culpæ separari potest a reatu pœnæ.

*Conf.* Jus ad odium oritur ex jure personali offensi, et odium per se sumitur ex displicentia personæ: jus vero ad pœnam oritur ex potestate judiciali et vindicativa, et pœna sumitur ex amore justitiæ, cautelæ et exempli aliis dandi. *Item* unum jus potest tantum esse in uno subjecto sine altero, uti patet inter homines, ubi offensus sæpe non habet jus ad infligendam pœnam; et licet hanc petere a judice possit, Princeps tamen ex suprema potestate eam potest remittere. Ergo quamvis hæc jura ambo in Deo sint, sunt tamen *distincta*, et Deus æque ac homo utraque possidens, potest cedere unum, altero manente. Ergo etiam debita his juribus correspondentia, reatus scilicet culpæ et reatus pœnæ sunt realiter distincti et separabiles.

28. *Obj. I.* Conc. Tridentinum explicari potest, si dicatur non remitti ubique totam culpam, ubi aliqua adhuc pœna solvenda restat, licet ubi tota culpa remittitur, etiam extingui totum reatum pœnæ concedatur.

*R. N. Ass.* Cum hac *explicatione* conciliari non potest præcipue primus Trid. locus, potestas clavium in sacramento Pœnitentiæ, et communis persuasio fidelium: nec fundamentum grave habetur ejusmodi interpretationis.

*Inst. 1. S. Th. p. 3. q. 86. a. 4.* postquam in 0. dixisset peccatum continere in se duo, aversionem tanquam formale, cui respondet pœna æterna: conversionem tanquam materiale peccati, cui respondet pœna temporalis; in resp. ad primum subjungit: *Et ideo ex hoc ipso dicitur culpa mortalis remitti, quod per gratiam tollitur aversio mentis a Deo simul cum reatu pœnæ æternæ. Remanet tamen illud, quod est materiale, scilicet inordinata conversio ad bonum creatum: pro qua debetur reatus pœnæ temporalis.*

*R.* Tam hic, quam alio in loco cit. a S. Thom. distingui inter reatum culpæ ac pœnæ, adducto exemplo Davidis, cui post significatam remissionem peccati, denuntiatur est moriturum in pœnam peccati filium; et utrobique hinc concludi: *Punitur ergo aliquis a Deo, etiam postquam ei peccatum dimittitur: et sic reatus pœnæ remanet peccato remoto.* Vel: *Ergo remissa culpa remanet reatus alicujus pœnæ.* Hinc textum explicare licebit *distinguendo.* Remanet illa conversio formaliter in se aut in ratione culpæ *N. effective* seu quoad aliquem effectum, scilicet reatum pœnæ, quatenus restat adhuc quidpiam pro ea solvendum *C.*

*Inst. 2.* Si dicatur, remisso etiam reatu culpæ et pœnæ, imponi posse a Deo vel Confessario obligationem ad satisfactionem vel satisfactionem, quia justitia Dei exigit, ut culpa reordinetur per pœnam, et peccator cum tali onere recipiatur ad gratiam, ut a lapsu absterreatur; hæc obligatio potest adhuc dici reatus pœnæ, quatenus remote oritur e culpa. *Conf. S. Th. 1. 2. q. 87. a. 6. ad 1.* dicit: *Cessante macula non remanet reatus secundum eandem rationem.*

*R. N. Ass.* Tertius Trid. locus satis clare videtur dicere, totum præcedens debitum ad culpam non semper remitti, quod tamen hic volunt *Scotistæ.* Præterea vel peccatum meretur pœnam æternam et temporalem